



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sapiente Fructuoso Epistolares Libri quinque

Bonifacio, Juan

Ingolstadii, 1606

Ioannes Bonifacivs, Pio Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51159](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51159)



IOANNES BO-
NIFACIVS,

Pio Lectori.

E Pistolarum multa esse genera & ex Cicerone intelligimus hoc ipsum in epistolis affirmante, & res etiam ipsa doctissimorum hominum usu & consuetudine recepta & testata demonstrat: quorum praestantissimum atque optimum illud est, in quo argumēti utilitas inuenitur. Et si enim laudatur epistola, quæ nil certum, destinatumq; persequitur, suaq; se infinitate commendat, si quid arripuit, in eo exultat, familiaris, amica, placens, arguta, seueritatis minimè expers, iocos non excludens argumentum sine argumento pertexit: tamen longè melior illa est, quæ finem expectat, itaq; est respersa salibus, ut salubritas magis appareat, neque aut longius, aut liberiùs excurret, quàm constituta questio patiatur. Marcum illum Varronem doctissimum, e-
)? (s ruditi-

ruditiſſimamq̄. Romanum res grauiſſimas
epiſtoliſ explicaffe accepimus, eamq̄ viam
muniuiſſe, quā maximis ſcriptoribus vide-
mus eſſe tritiſſimam. Tullius enim mirus ar-
tifex ſcribendarum epiſtolarum cum in iis
literis, quas tum ad alios, tum maximè ad
Titum Pomponium Atticum amiſſimum
dederat, omnes omnium atatum ſcriptores
ſuperaffet, ſe tamen ipſe facile vicit, in illa
aurea epiſtola, qua Quinto Ciceroni fratri
ſuo precipit, quemadmodum ſe in prouincia
adminiſtratione gerat, comprimendaq̄ ira-
cundia, ad quam Quintus ipſe Cicero paulo
erat propenſior, & grauiſſimum & amantiſ-
ſimum ſe præbet monitorem: eſtq̄ talis epi-
ſtola, ut non ſolum magnitudine, quippe qua
longiſſima ſit, ſed etiam dignitate reliquis
omnibus antecellat. Horatio non tam lyrici
verſus, (qui tamen tales ſunt, ut nil poſſit
accedere, laſciua ſemper excipio,) quàm illa
grauioris numeri epiſtola authoritatem
conciliauerunt: qua verò ad Piſones de arte
poëtica eſt, tantum habet ponderis, ut eius
laudanda nullum finem faciant ſapientes.
Epiſtolam enim & eſſe, & appellari debere
doctiſſimi viri cenſuerunt, à quorum iudi-
cio diſ-

cio dissentire non ausim. Omitto cuius que
libri præfationes, quæ vel epistolæ sunt, vel
epistolarum instar habent. Quis nescit Sene-
cæ ex alienis, & si multa dicit, quæ à nostris
moribus aliena non sunt, Ambrosij ex no-
stris, item Hieronymi, Augustini, Gregorij,
Bernardique & aliorum epistolas inter gra-
uissima opera numerari? Mihi qui-
dem sapientium virorum, quales hi fuerunt,
quos modo nominavi, de rebus grauissimis
in epistolis differendi consuetudo semp pla-
cuit, non ob eam causam solum, quia tempus
in scribenda utili materia præclarè ponitur,
sed etiam quòd epistola scriptor nulla est vel
multa colligendi, vel omnia persequendi ne-
cessitate constrictus. Nam qui libros se consi-
cere profitentur, elegantiam adhibeant, ne-
cesse est, & quæ tractanda susceperunt, ab-
soluere oportet, ad exitumq; pducere. Quin
etiam ab iis istis distributionem, ordinemq;
requirimus, & ut sunt tempora, recòditam
eruditionem, exquisitamq; doctrinam flagi-
tamus. Sed quas leges non accipit, earum le-
gum negligentiam non timet epistola, quæ
illius, ad quem scribitur, approbatione con-
tenta quid alijs sentiant, non laborat. Ex quo
etiam

etiam efficitur, ut epistola neque breuitas
accusari, neque longitudo debeat, quæ enim
vult, tacet, quæ breuiter dicere non libet, illa
amplificat, atque persequitur aliquanto la-
tius, & diffusius, est quæ pro lege voluntas.
Quod si illa, quæ ad amicos scribimus, liben-
ter ij legunt, quibus non placere sine culpa
possumus, vel accuratior scriptio causa est,
vel ipsa lectoris affectio. Quorum alterum
cupimus, ab altero longè absumus, & quia
nil in hisce nostris epistolis magnum agno-
scimus, spem omnē in lectoris beneuolentia
collocamus. Enim vero prius quam ad operis
huius partitionem, distributionem, atque or-
dinē venio, inscriptionis causam exponam,
quæ tibi Christiane lector noua fortasse vi-
debitur, si rem primo aspectu iudices, neque
animi mei consilium attentius, considerati-
us quæ perpendas. In eo etiam mihi esse aduer-
sus videor, qui & me libri scriptorem esse
negem, & has tamen epistolas librorū more
inscribam, in quo quid sequar, quidquæ spe-
ctem paucis explicabo. Ego ab ipso etatis ini-
tio in meis vel studiis, vel scriptis id vnum
mihi proposui, ut & salutarem sapientiam
amplecterer, & illius amāda alius me admo-
nitorem,

nitorem, suaforemque praberem. Hoc autem
nisi fructuosi sapientis vel exprimenda, vel
quia hæc facultas non datur, ut cumque adum-
branda imagine consequi me non posse arbi-
trabar: quare cum hæc species in animo insi-
deret, nunquam vel ad fratres meos, vel ad
externos amicos literas dabam, quin in eis
tanquam in tabellis huius picturæ partem a-
liquam, & quasi lineam designarem. Non
enim otij consumendi causa scribenda epistolæ
sunt, præsertim à religiosis hominibus, lu-
dusue in illis quarendus, cum superuacanei,
redundantis, minimeque necessarij verbi red-
denda ratio sit, vitæque omnis causa dicenda
illo in die, quo ante Christi tribunal stabimus
mercedem pro factis accepturi. Nihil seuerissi-
mus ille iudex non vocabit ad calculos, ne-
minem non puniet, qui puniendus sit, nemo
bonus non premio afficietur. Cum autem om-
nes omnium temporum epistolas, quas ali-
quando scripsissem & colligere sparsas, &
vndique collectas limare statuissem, animad-
uertit de sapiente fructuoso totum prope illud,
quod querebam, ex coniunctis partibus confi-
ci componique posse. Illud etiam vidi, epistolas,
quæ didascaliam haberent, aliquidque doce-
rent,

vent, ut Calius ille ad Ciceronē scribens cen-
set, versari inter manus posse, ac libēter rele-
gi. Ergo epistolas in vnū quasi aceruum col-
latas amicorū rogatu distribui, libris, quæ-
stionibus, tractatibusq; distinxi, & volumen
epistolare de fructuoso sapiente inscribendum
putavi. Ita sit ut neq; epistolarum iura im-
munitatesq; non teneam, & argumenti uti-
litas, si vlla est, lectori præmōstretur, quam
ipsa ostendit, vel potius spōdet, ac promittit
inscriptio. Nā sapientia, quæ hominibus pro-
futura est, eloquentia iuncta esse debet, ob
eamq; rem de eloquētia lineamentis primo,
post de pigmentis ipsis scribimus. Et quæ ver-
sus cū oratione coheret implicitus (nemo. n.
bonus orator non modo quemadmodū dicat,
sed quemadmodū etiam currat, & quæ sit ora-
tionis numerus, nō laborat) de versibus illa
tantū diximus quæ dicenda esse videbantur.
Mitto Christiana pōesis dignitatē, quæ per se
maxima est, & fructuoso sapiētī nō indecora.
Sine virtute intelligi sapientia nō potest, de
virtute tantū, quantū satis esset, attigimus:
illaq; adiungimus, quæ ad oratoris & poētæ
institutionem pertinebāt. Restabat illa pars
ampla de perfecta concione, sacra confessio-
ne, pu-

ne, publica Theologia interpretatione, fructuosa cum hominibus congressione, horum omnium non tractatus, sed epistolas lector inueniet. Non omnia dicimus, non seueri semper sumus, ne epistolae leges ignorare videamur, non omnia silemus, non voces & verba iactamus, ut tituli, & inscriptionis memores simus. Nam quae nil agit, quaeque nugatur, & sine scopo est, me nunquam epistola delectauit. Et nimirum haec illa ipsa sunt, quae in eo libro promissimus, quem de libris Christiano more educandis edidimus. Quae enim illic inchoauimus, hic absoluiamus, neque sapientis pueritia contenti ad virile eius aetatem, senectutemque peruenimus, perfecta quoque sapientiae imaginem adubramus: expolire nostrum non est, palma haec maximae ingenii reseruat. sapientis non vita solum, sed etiam mors ipsa fructuosa est, de morte in extremo quinto disputamus. In nostri temporis hereticos pauca quaedam ad omnium ingenia accommodata collegimus, ut pietas radices agat in animos eorum maiores, quod illa fuerint cognita & precepta maturius, quibus religio confirmatur, a calumniisque defenditur. Ut a. quorundam ad quos epistolas mittimus, nomina tacerentur, *charitas*

ritas fecit, quae omnibus gratificari studet,
nam cum ad omnes, quos diligo, quosque ha-
beo charissimos, literas dare non possem (li-
ber enim ille esset immensus, qui caperet
omnes) quasdam sine nomine epistolas edi-
di, quae etsi cum vno loqui videantur, ta-
men ad multos pertinent, qui in illa immen-
sitate delitescunt. Dum enim neminem no-
mino, omnium me illorum cultorem lauda-
toremque profiteor, quos non licuit appellare:
quo etiam fiet, ut de me iure conqueri ille
non possit, cuius nomen praetermissi. Habes
hoc munus à me Christiane Lector, quod
sentio, quàm sit exiguum, in eo tu si non
rem, at voluntatem, & ani-
mum intuere.

Vale.



DE